

primi per vocabulum *excidere*, confer hic illum philologorum principem ER. SCHMIDIVM in *Decl. N. T. ad Mat. VI. 14. p. 127.* Quod de casu corporis hic non fit sermo, me tacente quemuis sermonis Apostolici edocet connexio; ergo *παραπέσω* hic non tam est excidere ex loco, quam ingenere excidere ex re quadam, ex statu quodam, in quo quis antea fuit. Quis sit ille status, ex quo excidunt, de quibus hic loquitur Apostolus, non expresse dicitur, ergo ex circumstantiis textus hoc est eruendum, quod sat facili fieri potest opera. In commate 4. et 5. describit Paullus statum fidelium, vt patet ex iam dictis, quibus in hoc commate opponit infideles, qui postquam fuerunt illuminati, ac donorum spiritus sancti facti fuerunt participes, Christum crucifigunt, ac publicae ignominiae faciunt exemplum; ergo de iis hic differit Apostolus, qui ex statu fidelium in summam prolabuntur infidelitatem. Hinc satis fit manifestum, quod per *παραπεσόντας* hic eos intelligat Apostolus, qui ex statu gratiae atque fidei excidunt, et in pessimam incidunt infidelitatem.

§. XXIII.

Tandem

II. Peccantes in sanctum spiritum Apostolus ratione status subsequenter et praelentis ita describit, vt eos dicat *ἀνασταυρόντας ἑαυτοῖς τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ καὶ παραδειγματίζοντας*, tales, qui sibi crucifigant filium illum dei, ac publicae ignominiae eum faciant exemplum. Distincte hic est exponendum, quis hic dicatur filius dei, quaenam vocabulo *ἀνασταυρόω* hic competat notio, quid sit *ἑαυτοῖς* crucifigere filium dei, quid vocabulum *παραδειγματίζειν* sibi velit, et quid denique rei sit *παραδειγματίζειν τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ*.

§. XXIII.